ELENA RAPITA DI COLUTO POETA TEBANO TRADOTTA NOVELLAMENTE DAL GRECO IN...

Giovanni Francesco Corradino dall'Aglio



SATYRÆ
ET
EPIGRAMMATIA
JOANNIS FRANCISCI CORRAD.
DE ALLIO.



VENETIIS
1741.
SUPERIORUM PERMISSU.



SATYRA PRIMA

IN

ERUDITULOS

Hæc ſcabies hominum eſt, quingenti nec Gygis ungues
Centimani rabiem tollunt prurignis hujus,
Scire volunt omnes, & quemquam poſſe docere,
Ut qui Therſites, aut ſi pejor Therſite eſt,
Eſſe aliquid ſe credat, Achillem, vel Diomedem.
Troſſilus in ſcena toties qui tuſſiit, atque
Raucus erat, Bacco caſu ſine tuſſe citato,
Non cedit cygnis, & pedit Apollinis ori,
Si bene comœdus recitat, vult Roſcius eſſe.
Sed tenet hæc arcte, nigra vibice ligatque,
Litterulis tinctos, qui nec ratione, modoque
Sanari poſſunt. Simul ac liquere Lyceum
Poſt ſertum Themidis ſumma cum laude relatum,
Se ſe apud ignaros jactare, ac pendere magni
Incipiunt, & ad hebræos tum currere primum;
Heus mercatores! lenones illico centum
Inſiliunt læti circum latus, edite vero,
Quid tandem rerum mavultis? idonea nobis.
Furtim nutantes ſalſe ſibi brachia vellunt,
Et chaldæa, hebræaque diſtorto ore loquuntur
Inter ſe, noſtri contra contendere verbis,
Donec quidam leno vaferrimus unus eorum
Sputat in auriculas, mutata mente veneno
Conducunt veſtes, atque omine lerica primo

A In·

Induitur, digitis adamantinus anulus extat,
O quoties libros vendunt, ut talis ematur!
Est tamen ex illis contentus vivere parvo,
Qui pro adamante manu vitrum quis ventilat album,
Quod, licet urat hyems nivibus, septemque triones,
Ostentare volunt, digitis vel frigore duris.
Quid cum ad sartores venerunt? indice nunquam,
Sed semper digito, quem regius anulus ornat,
Monstrant, quæ malunt, piscatoresque fatigant,
Hoc purgare sibi dentes, hoc scalpere nasum,
Hoc caput uno, si qua, malum, prurigo lacessit,
Et mirum titillat eos affrictio lenis.
Clepsydra Londini pendet sub veste secunda,
Atque palam est, ut in horas educatur ubique,
Et quota sit, me sponte monent, nulloque rogante.
Ridentur vero lepide, atque suaviter illi,
Qui quamvis videant melius serpentibus ipsis,
Crystallum tamen esse volunt in nare sedentem,
Quo terrorem credunt, & portendere cultum
Nobis indoctis; quæso, cæcutis amice
Quamdudum? pætum nunquam, lippumve fuisse
Te memini, immo adeo cernebas nuper acutum,
Quo fato, inquam, oculos insumpsti? vincere somnum,
Scribere, vel legere, ad lumen pallere lucernæ,
Hoc est cæcutire meum; illis obice quidvis,
Obice, at in naso crystallum equitabit, ut apte,
Et belle sedeat, præparvo fune ligatum
Auriculas circum, tamquam arx in monte bicorni,
Crystallum, cum cœnat, habet, non mejere fas est,
Non cacat hoc sine, quo porro sellam inspicit ipsam,

Et

Et notat attente, si quidnam fecerit omen,
Ad summam quævis vellent incommoda ferre,
Quam sine vivere crystallo; sic visere cœtus,
Incessus qualis[1] lumbos, clunesque moventes
Se circumspiciunt, caudam pavonibus adde,
Et collo pergunt recto, cerviceque dura,
Nosque pili faciunt, quos hos si forte salutas,
Non quidquam gratum extorquebis, sique superbis
Tristius occurras lolito, atque negabis honorem,
Et titulum quondam Themidis, fertique relati,
Quis Deus eripuit mentem tibi? collige sodes,
Collige sarcinulas, periisti, vivere sanum
Te nolunt, pingues facit hos non turdus, & anser,
Sed fumus, titulique; movent autem inter eundum
Litem de amphibracis, anapæstis, deque molossis,
Nugis, quod charta est levius, quam inane cacarunt,
De verbo *facio* contentio nascitur ingens,
Versutulque oculo quo lippiat Hannibal? atque
Mulo curto quare vellet Horatius ire?
Collocat hic, ponitque suos facundia lumbos,
Quemque tenent primum, caput illi rumpere rauci
Nunquam intermittant, patiuntur & hiscere nunquam,
Omnes vocem hominum mirantur, & indice signant,
Incessu pergunt perfrictæ frontis eodem.
Cum autem ad bibliopolarum venere tabernas,
Defixi toti libros quoscumque volutant,
Illorumque legunt frontes, in nare sedente
Non sine crystallo, cubito fodit hic, ferit ille
Affere, rapti extra se absorbent quæque latina,
Quæ sunt in promptu, norunt quoque gallica, fallor?

 Præ-

Græca etiam, quo sæpe super pallere solebam,
At male dispeream, si quis cognoverit alpham,
Cum rem attentius indages, & retia tendas,
Tantum labra movent, sed tecum forte locuti
Stantes in pede vertent Pindarum, Aristophanemque,
Et majora obtrudent, quæ vix credere possis.
Audi præterea, faciant quid tempore veris,
Autumnique, bonos messores inter agrestes;
Rus abeunt, postquam pransi, pinguesque fuerunt
Pene sub occasu Solis, libro incipit unus-
Quisque suo circum magalia repere lente,
Phœdro alii, vel Plauto, alii cum codice multi
Inter ruris opus, femellæ, & rustica plebes
Mirari moles librorum, credere mira,
Salvete, ajunt, messores, & pectora dura!
Illi respondere nihil, garrire vicissim,
Di immortales! audistin'? de rhetoris arte,
De versu, de Virgilio, metroque loquuntur;
Di magni, sapiunt homines quantum! ora tenentes
Redduntur tanquam percussi sidere muti,
Et quantum stupet in verbis ollarius, auceps,
Et primi ruris fullo, lardarius, unctor,
Tum nostri ampullis similes buccasque, genasque,
Atque cutem intendunt; magna est dementia, magni
Velle apud ignaros fieri, & suffragia fæcis
Venari, rident alii sensus melioris, amore
Laudis ineptitis nimio, hanc hanc quæritis auram
Horum hominum? Cum vero nix compellit in urbem,
Involvunt se se studiis, oleoque lucernæ,
Et somno enecti redeunt ad pristina vitæ,

In-

Inque novos cœtus scribi, intrudique laborant,
Fama ut ad ignotos currat, nomenque vagetur.
Versibus assidue Phœbum, musasque fatigant,
Nec melius vivunt, quam cum componere possunt,
Principis in laudes oratio funebris exit,
Si vero sponsalia sacra, profanaque fiant,
Itala figuntur centum, sexcenta tabernis
Disticha græca, novi totidem Prætoris ob æquum
Ingenium, totidemque redit cum murmure plebis
In patriam, quod multis rupit vasa minora,
Fregit & ampullas injustas, scribere versus
Malunt per fas, atque nefas; pagella columnis
Fixa diem monuit recitandi publice, & urbis,
Atque suburbani doctores sæpe rogati,
Atque invitati per cursorem, est locus uni-
Cuique suus, proceres, prætorque in sede curuli,
Sunt, quæ detineant, cantus orchestra theatri,
Auditores sudaturos; cædere nostri
Interea pluteos clausi in conclavibus altis,
Et rodunt digitos consumptis unguibus ipsos,
Nullum ducendi faciunt suspiria finem.
Per me equidem versus componant, versificentque,
Sed plane credunt manare poetica mella,
Et venam magni Petrarchæ, & spiritum habere;
Cœlo, quæ dixerunt, a prætore feruntur,
Egregie, & belle, vel carmina pessima si sint,
Et pejora meis, invita sedilia clamant,
Annuit & prætor, fingitque savere poetis,
Illius auditor vultum, nutumque sequuntur,
Attollit nasum: faciunt, si riserat, ajunt,

O

O lepidos auditores, lepidosque poetas!
Nec satis est recitasse palam, nam luce sequenti
Conficiunt, quos arripiunt, jugulantque legendo;
Quorsum sudores vestri, tot scribere versus,
Totque necare homines? quorsum, ajunt? quærere famam,
En desiderium nostrum ingens, votaque nostra,
Fortunamque sequi meliorem; quæ vacet, estne,
Dic, cathedra ulla, ubi dicendi causa, atque legendi,
Maxima sit merces? ne te frustreris inepte,
Non est cujusvis illuc ascendere recte,
Unde hoc objicias? loqueris plane, atque latine?
Est satis, & recitas belle? punctum omne tulisti,
Præterea mihi sunt bona vox, fortesque lacerti,
Non inconcinnus recito, & me torqueo docte,
Ne vivam, si non præ me summoveris omnes.
O quoties optant nido, majoraque pennæ
Quam patiuntur! qui si justo forte volabunt
Altius, illabentur per collumque, pedesque
In mare Nereidum salso, Naidumque cachinno.
Hoc veriti multi sicca mercede libellos
Bibliopolarum correxerunt, alii autem
Cauti pædagogorum scribuntur in albo,
Sed melius faciunt, qui malunt esse magistri,
Sportula quorum est pinguior idibus, alea quamvis
Nonnullos perterret, ut in rus conjiciant se,
Inque suburbanum quid, scit qui ubi scribere bello,
Oppiduli cives perfectum rhetora clamant,
Adveniunt urbem, si compositio fiat,
Vel de philosophia quæstio, deque mathesi,
Certatimque volant, res, atque negotia mittunt,

Se

Se immiscere volunt rabulæ, vanique sophistæ,
Secum agit ex illis rabularum pessimus unus,
Utrum eat, an non? hora est tertia, falle clientem,
Ajebant, qui aderant, hodie ut taceam, inquit? eamus,
Qui dicit, phisicesque δίκη defendit, opella
Præceptoris eget, modo qui responsa daturo
Stillet in auriculam, modo qui adversaria tela
Confutet, statuam faciente Hermetis alumno,
Qui si laudatus trutina ponatur amica,
Marte nihil proprio dederit, vix disticha fecit
Ipsa, quibus solet auditori reddere grates.
Cum nobis tandem Martis jejunia pisces
Indicunt, pedo Judæis, pulpita sacri
Ascendunt oratores, oratio prima
Allicit innumeros sessores ruris, & urbis,
Quamquam post curtum tempus subsellia frigent,
Arripiunt quidam prælonga sedilia gnavi,
Qui prorsus horrent, ne creditor exigat æra,
Et pugnas faciunt ingentes, pergite fæces
Sæpius auditur, macros ridere minores,
Promittunt calcem, donec descendere cogunt,
Atque sedent læti sine multa; limen anelat,
Clausi aditus, vix auditoris tussis abivit,
Et raucæ voces, inconcinnique screatus
Cessavere, Dei vox magni in voce cuculli
Incipit audiri, docti suspendere nasum,
In quo crystallum imponunt quasi tempore eodem,
Et de compacto, at compresso dente susurrat
Nescio quis secum, & partem se miscet in omnem
Quærenti similis, cui primo frigidus humor

Ad

Ad talos manat; quidnam, ajo? mille colores
In facie, qui vix crystallo denique sentit
Esse sine, heu, inquit, crudelis fortuna! potesne
Pejori pacto nobis illudere doctis?
Palluit, ut si nudasset totum alea præceps,
Vel mare naufragio spoliasset merce beata.
Aspicis, auditor quos hic nunc ducat hiatus?
O mirum quantum profecerit! atqui agit illud,
Ut gestus, & verba notet, sunt rancida quædam,
Rescindi possunt, audistin? cætera verbis
Nec nitor est, nec honor, desidero nescio quid, quod
Oratoris erat, nisi vis his rumpere dentes,
Non taceant, vellent aliorum crescere damno,
Quanto majores asini, tanto acrius audent,
Quemquam despiciunt, quemquam ridentque minorem,
Omnes in censuram proni, tela Minervæ
Configunt, nigrosque notant in Apolline nævos;
Qood si materies dicendi, silvaque desit,
In febrim incurrunt magnam, partemque diei
Mæsti traducunt longa, macraque diæta,
Per tamen hoc rarum est, nam quæ scribuntur, & ad nos
Perveniunt, vel si sint itala, sive latina,
Horum juditium patiuntur, qualiacumque
Sint mea, quæ scripsi, vellem sub judice sano,
Hi tristi excipient sensu, atque interprete sævo,
Nilque boni faciunt intenti rodere tantum,
Sed rodant, donec frangant, rumpantque molares.
Cum circum nox atra volat, sub fine diei
Unus post alium decisis rebus eorum, ad
Bibliopolam, emitur, librorum quidquid acescit,

Et

Et nuper cusi, nam tinctum quaque farina
Esse juvat, libris pluteos ingentibus implent,
Ac tot habent equidem, quos multos vendere possent,
Oppletosque situ blattæ, muresque maligni
Corrodunt noctu; tua sit facundia quanta,
Arguitur numero librorum, indoctus haberis,
Et rudis omnino paucis contentus, eo res
Insumunt, macre vivunt, ventrique libenter
Indicunt bellum, sine cæna, quam sine libris;
Jam norunt frontes, ac tantum volvitur index,
Summatimque legunt, ut possint quomodocumque
De re quaque loqui, sermo, qui nascitur, horum
Primus ephemeridum, quemnam germanicus ensis
Imperat? Hispanus quid cogitet? arma minetur,
An pacem? quid agant Galli, quid Curia Romæ?
Hic sudant, & contendunt discrimine magno.
Pallidulus quidam sejunctus ab agmine docto
In librum incumbit taciturnus, totus in illum,
Conniveque super, rideres quemlibet horum,
Quando legunt, oculo fingunt lippire salaci,
Femellam vero, quæ millia passibus absit,
Rite vident, pæti deponunt os, oculosque,
Ut ne longa quidem cernant, majoraque verba;
Si de rhetorica dicunt, si deque Mathesi,
Egregio sensu timidus, vel certus inepte
Respondere, tacet semper defixus ibidem.
Sermo ne de prælis? præstet num Gryphius Aldo?
Non teneat sese, assurgensque silentia rumpit,
Et libro clauso, in re hac nemo doctior illo,
Cum satis asseruit, jam sermo vergit eodem,

B Et

Et de rhetorica contendunt, deque mathesi,
Ille velut nigro percussus fulgure murus
Ad librum redit, perfricta fronte diserti
Intrepide de tetragonis quælibet audent
Dicere, de quadratis, de rectis, & acutis,
Deque parallelogrammis, didicere quod ante,
Quæque sciunt, tumidis effundunt omnia buccis,
Enectoque penu nihil est, quod promere possint,
Sed quærent, mendicabuntque diaria posthac
In polyantæa, ut qui totum strinxit in unto
Propter convivam, jejunat mane sequenti;
Quod venit in mentem, effutitur, quid vitium sit?
Quid virtus? de febribus æque, deque podagra,
Disseritur, de rerum divisione, pupilli
Cur egeant tutore, & curatore minores?
Hic crepat Alphenum Varum, Priscum ille Neratium,
De vi, deque senatusconsulto Orphitiano,
De testamentis, si audires qualia dicunt!
Quoque supercilio! sed nemo corrigit illos,
Antiquis dicam impingunt, nostrique pudorem,
Grata super tumulum dignis queis lilia jactes.
Hoc impune ferant? o vos Alphene, Nerati,
Quos toties impuro audaces ore loquuntur,
Ullane de sciolis pœna est in codice vestro?

SA-

SATYRA SECUNDA
IN
MARCUM

Historiam Trojæ quondam mihi forte legenti
Occurrit Marcus, probius me, Candide, nosti,
Qui putat & gestu nobis, nasoque placere,
Si mentum spectas, est hirculus, adde minora,
Quæ rideri possunt, ultro lætior æquo
Mi nutat verbis græcis, jussaque salute,
Quid narrant homines, inquit, de me? optime, ego inquam,
Omnes tonstrinæ, collegia quæque loquuntur,
Causidici, medici, chirurgi, pharmacopolæ
De Marco belle satis, o me si in cute nosses!
Vin' medicum, recta quæ tete curet opella?
Me specta; ajebam tacitus, serva tuum, Apollo,
Vatem qualemcumque; rogo, inquit, prætereaest, qui
De herbis, & radice ausit contendere mecum?
Unam habeo, quam pro totis mutare negarim
Divitiis Arabum, nusquam hac a nemine cernor,
Vel medios hostes inter tutissimus irem,
Quod cum commemoro, me non ratione tenere,
Quin lacrumer, possum ulla, ego tum compescere risum
Cor supter; neque enim centum extorquere cicutæ
Illius ex animo poterant, nec pocula centum
Hellebori, non quæ miscet Medea venena,
Nec quas terra parit per opimos colchica campos.

 Post-

Postquam igitur sese pulcre laudavit, & auxit,
Nolens, invitusque aliorsum fingit abire.
Interea coit ad ripam mihi nota juventus
Curas mittendi causa, auditoribus hac re
Narrata, scenæ jucundus vertitur actus,
Dum partes recte facimus, salsissimaque in rem,
Inque hominem jacimus, lupus est a parte sinistra;
Cæcutire omnes compacto, & dissimulare,
Ut longam ridendi materiam faceremus,
Hircis respicimus confisum a nemine cerni,
Repebat furtim, & subridens brachia vellit
Nunc mihi, nunc aliis, & rauca voce susurrat;
Nos pallere, scienique sodalem quisque tueri
Distorquens oculos, alternis figere culpam,
Cum insectaretur vellendo, cumque veniret
In femur, inque pedes, umbræ, peccatane agunt nos?
Inquam, nı ruimus contra, vexamur inulti,
Pars cædit pugnis, ego ligno, cætera calce,
Et descendit hyems non expectata, fugacem
In medicum ferimur, petimus, sequimurque dolentem,
Valde sollicitus cognosci, parcite Marco,
Ille, deos per magnos, occidistis amicum
Præter spem, mentemque; manu compescere risum
Vix poteramus; cum sannam, digitosque videret,
Dilabi cæpit, tunc nos sic risimus ulti, ut
Suavius haud alias ridebimus, hinc redeuntes
Garrio, rem novit vicinia tota, per urbem
Rumor it, pueri, si possent, vellere mentum,
Sed latet, aut veram certe, puto, repperit herbam.
Nam vidi nusquam, quantum hac olfecimus, illum

SA-

SATYRA TERTIA

IN

POETAS

Dic mihi, Musa, tuo quot sane nectare digni
In sacro nostri vivant Helicone poetæ?
Nam sunt innumeri, lybicis ut pulvis in hortis,
Te melius nemo norit, nec certius illos.
Quid rides? librorum copia crescit in hora,
Et nova bibliopolarum collegia fiunt.
Scribere cura ingens, & per vim scandere Pindum
Unicuique, quotus furtim subrepit eodem,
Et vivit læte? mecum arripe, diva, poetas,
Hos vellem excutias. Ope vestra, & Apolline fausto,
Ut dicunt, nugas, atque insolsissima pangunt,
Quæ rabiem, risumque moverent cuique severo.
Ecce hic in cella bene mane occultus avita
Versificat jussus jucunda lege magistri,
Sudat ut in sella, sicca est, jejunaque vena,
Si hoc, ait, incipiam? nihil est, censura repugnat,
Et metri ratio; si permutem ultima primis?
Ego ro tantundem, tribracum volo, nolo molossum,
Non claudit versum, nisi totos roserit ungues,
Et precibus summis cœlum imploraverit omne;
Quod felix, faustum, & fortunatum sit, inaura
Me sis, cur? pepigi tentatum denique versum,
Quod numquam diræ mi concessere camenæ,
Fallor? non pol me dulcis dementia ludit,

Alter

Alter adest, age, tertius exit, en quoque quartus,
Et tunicam jactat, mirum, si in pelle quiescit,
Ni disrumpatur; concurrunt agmine facto
Cognati, agnati, fratres majora putantes,
Quid mater, quæ novit rem? pallere repente,
Jam jam lacrimulas, roremque ex nare videres,
Illi scire volunt verum, remque ordine habere;
Quod si versiculos tandem centum auspice Phœbo
Enitatur, erit, crede, unicuique molestus,
Oceanum terris miscebit, scribet amicis,
Atque mihi, atque aliis, se certum traddere velle
Scripta typis, cuncti, ne rideat invidus unus,
Sæpe dehortamur, parvi, minimique negoti
Materiam, sensus velut unco, tractaque verba,
Sed mentem obdurat, lapidemque, asinumque lavamus,
Non mihi, non aliis, non sano credit amico,
Invidiam putat esse meram, si vera monebit
Candidior quisquam, nolis velis, in numero vult
Esse poetarum, magnus dicique poeta,
Scire putant omnes, ac dios pangere versus,
Qui se nec medice novit, nec litibus aptum,
Transfert ingenium, mutata veste profana,
Et nigra sumpta, tonso, curtoque capillo,
Detonsum, curtumque gerebat noctua qualem,
Semper agit secum quamprimum vivere Romæ,
Tum felix citius pingui mercede futurus,
Eja animis, Melibæe, opus est, age pone pudorem,
Secum inquit, cui non arrisit Roma poetæ?
Quem non ditavit prorsum, effecitque beatum?
Protinus ex animo curtum conscendere mulum,

Cal-

Calcaribusque, potest quantum, illius ulcerat armos,
Post tergum vicos, urbes, castella relinquit,
Sunt ubi caupones, cum queis contendere noli,
Si cupies Romæ sinceris dentibus uti,
Cœnantem emungunt plus justo, &, quam est satis, ultra.
Incæpit tandem præbere huic Appia sese,
O urbs exclamat, videon' te? urbs inclita Roma!
Hic oratores centum, centumque poetæ
Expectant macri Mecænatem, haud sibi desunt,
Occurrunt vafre, nec sunt in limine tardi,
At demum illusi communi voce queruntur,
Defecisse dies, & magni Cæsaris annos,
Ut non Virgilios, nec Mecænate futuros
Amplius expectes patrono nemine Flaccos.
Interea miseri diram patiuntur orexim,
Et circum vicos jejunis dentibus errant,
Strigosi tamquam fessi de rure caballi,
Non sine sarcinulis, Satyrarum hinc copia fluxit,
Quæ contra sacros proceres, normamque regendi,
Fastidit lectorem, ut morsu, ac dente canino
Attingant etiam non attingenda profanis,
Hic rabiem extricant, & ventrem versibus implent,
Ut nitidos magis esse putes, magis ore rotundo.
Nuper Pasquinus centones attulit ad nos,
Quos nostri expectant, amplectunturque poetæ,
Nullus succus inest, nisi puta ærugo, pudenda
Vatibus oppono, misit Ferraria versus,
Vult ubi quisque boni titulum, nomenque poetæ,
Quo delectantur bellis meliore placentis,
Ut potius perdant oculum, quam non ab amicis

Voce

Voce salutari hac; age, mille Bononia misit.
Quid loquar astrologos, qui thusco carmine rapas,
Lactucas, & quidquid toto nascitur horto,
Prædicunt, pluviasque hyemales, frigus, & æstum?
Corvi cantabunt, & pica poetria versus.
Quiddam ego cognovi lepidum caput, inter alutam,
Et formas, soleasque, cadum post pene meraci,
Solari sese divino Danthe solebat,
Quare equidem in vita non risi suavius unquam.
Quod si nupta nova est, vel Prætor forte creatur
Urbis, castellique, volunt componere cuncti,
Est ubi materies, ubi sylva est, curritur illuc,
Utque canes circum campos, & retia circum
Olfaciunt, quæruntque, ex quo describere possint,
Da Petrarcha aliquid, quid habes secunde Marini,
Quod nostram compellat tuto ad litora navim?
Tu quoque nescio quid Danthes, nisi fallor, habebas,
Hic dat, dant alii, variatur carminis ordo,
Et metri ratio, sensus describitur idem,
Audacesque typis audent subscribere nomen;
Bibliopola facit versus, tetrasticha tonsor,
Abiectaque faber lima, clausaque taberna
Incumbit chartæ Musarum non sine risu,
Quæ postquam salsis se oblectavere cachinnis,
Tandem immittunt, inspirantque poetica mella;
Causidici vero causas deperdere malunt,
Quam non versiculos facere, & chirurgus ad ungues
Demorsos totus sudat, medicique, necandi
Abiecta cura, componunt disticha centum,
Insumuntque dies, & pingues nocte lucernas,

Qui

Qui cubat interea morbo confixus acuto
Expectat medicum melior fortasse sine illo.
Hi belli porro, & nitidi, quos otia curant,
Et cincinnati quidam, quos dicere nolo,
Nam satis illi ipsi norunt, quos indice monstro,
Versiculos, odas, hexasticha, disticha donant,
Quot nunquam Antimachus fecit, quem deinde secuti
Non Platoni, coram quo de plebe volente,
Vel nolente legunt sua carmina, si arripiant te,
Occidunt, nec enim contenti dicere verba,
Sed recitare volunt, clanesque, caputque movere,
Ac tanquam pugiles longos jactare lacertos;
Si quid agas aliud, nec stes attentior illis,
Impingunt lepide calces, & brachia vellunt,
Quod nunquam posses, ut Fuscus Aristius olim,
Dissimulare, malos nec tu reprendere versus,
Nam semper te vivum oderunt, teque sepultum,
Quem male detracta facerent sibi tympana pelle;
Hinc sexcenta columnis carmina, mille tabernis
Bibliopolarum figuntur Apolline diro,
Et musis iratis, sed contendere nolo,
Nam tot sunt numero, qui centum ornare triremes
Recte possent, ac inter eos consensio magna,
Ne pravis meme reddant fortasse Lycambem
Carminibus, vivant igitur, vivantque beati,
Et versus faciant, faveat formosus Apollo,
Et versus prorsus faciant; nigrum piper, oro,
Cenantes tecum noli mordere poetas,
Namque tui causa sudant, rerumque tuarum,
Qui tibi conficiunt vestes, pulcrosque cucullos.

IN

FAUTORES RERUM INSULSOS

Nil ego sedulius fugio, quam, Corbule, lites,
Longa ut amicitia nosti, seu a rhetore rauco
Quæ tractantur, seu coram prætore sedente
Causidicis ab hyrudinibus, claususque culina,
Meque domi teneo, quod si visandus amicus,
Qui cubet, atque alii, cautus clam devia quæro,
Ne casu quem litigiosum offendere possim.
Rixari nequeo; tamen hinc ad bibliopolam
Cum venio, rixari debeo, magna corona
Doctorum hic est, & sciolorum, quæ sedet; ut sum,
Qui mores hominum percalleo, voce saluto
Præclara, at tacitos agitant præcordia risus.
Hiscere non possunt, nisi primum mentio fiat
De peripateticis, Piso nequit esse secundus,
Nomen Aristotelis claro pronuntiat ore,
Carthesium balbutit, & illum ridet iniquum
Ut nugatorem, vatis miratur acumen,
Allecit qui tot visco, tot traxit alumnos,
Quemque caballinæ musæ voluere poetam,
Nam de principiis rerum mera fabula puta,
Attamen huic medici majora, minoraque debent
Multi, quæ faciunt, nos autem occidimur ultro
Propter Carthesium lege, ac prætore tacente.
Carthesii fautor vultum, mutatque colorem,

Scintillant oculi, mentumque, sinumque saliva,
Quale chimæræo manans ex ore venenum,
Imbuit, ac totos jactat cum veste lacertos.
Quid nobis nattas? mihi quidque veterrima cantas
Plena situ? perge & tu, & Aristoteles tuus, inquit,
Atque illum contra argumentum in *Cæsare* ducit,
Philosophus titubat, frænumque accepit ab hoste,
Dum bellum faciunt, fessores inter alumnos
Seditio orta est, sermones, variique tumultus;
Liberet ut se se, atque alios, rem nomine tantum
Solvit Aristotelis, postquam convicia jecit
Carthesio, & patronis, & fautoribus hujus,
Credere Aristoteli mavult, quam dicere verum.
Aufidius rhetor, phisicorum lite peracta,
Virgilio Statium præponi posse laborat,
Hunc legit, & relegit, tonsorem hoc enecat uno,
Hunc amat, & colit, hunc pueris obtrudere vult, ut
Exempli melioris, ego contendere nolo;
Philosophi, flavam nondum compescere bilem
Qui poterant, tristes labuntur; rari aderamus,
Arripiens me a fronte tenet, tacitumque lacessit,
Virgilium defendo, quia æquum, insanit amicus,
Et mihi dentes ostendit, qui si objicere ultor
Illi vellem, & respondere, recideret omne
Jus, & amicitiæ leges, me judice honoro
Scriptores veteres excepto nemine, si qua
Verruca, aut vitium est, omnino lege solutus
Quis non reprendat? Sunt & qui propter Homerum
Febricitant, ratio facile suadere videtur,
At si sit quid Horati, quod legat, aut sit acetum,

Quod quemvis lactat, Juvenalis, carpit inique,
Suspendit nares, atque os deducit utrinque,
Optimus est nemo vates, nisi lippus Homerus;
Sed cum sudantem vi solis curat apricum
Nelidem, & credit, febres extinguere cœpam,
Est medici cujus? dum Mars furit impius, hosti
Antiquam seriem proavorum narrat, & annos,
Atque asino divinum hominem cum comparat, ista
Esse probas sapientis? Erunt cujuslibet artis
Patroni similes, si res advertere velles.
Musicus erigitur fautore suo, genus omne
Vel cum testiculis laudatur; venit in urbem
Permagno rumore Fatinellus, balatrones
Circumfunduntur, crista quando ambulat alta,
Itque in tutelam procerum, qui præmia digna
Virtuti esse volunt, indefensamque tuentur,
Cuncti læti mercatores, rebus omissis,
Impigrique sedilia scenæ proxima cives
Arripiunt, latumque premunt, calcantque theatrum.
Quid referam motus, voces, prœconia, gestus
Quorumdam auditorum? o mel suavissimum! alendi
Nectare testiculi, incisorque beatior illis!
Cæcutitis? habet, quæ demere jure potestis,
In trutina ponatur, amor, studiumque ferendi
In cęlum, juxtaque Jovem vix crimine tutos,
Quem capit, & vinctum tenet, æternumque tenebit.
Quidam facturus plebi spectacula dives
Excitat ingenium mimorum, & præmia ponit.
Scurra genus ludi quondam sale notus acuto
Promittit, cives, plebæi currere, ut unda;

Hic

Hic ſtetit in ſcena fortaſſe tibicine nullo,
Et capite in ventrem demiſſo, porcus ut alter
Incœpit grunnire, popellus baſia jactat,
Et plaudit, non quemquam alium tam imitarier apte
Porcelli vocem; ſubtili callidus arte
Ruſticus huic aderat, ſcurra pol grunnio, ſultis,
Rectius, inquit; murmure ſalſo protinus ajunt
Auditor lepidus multum ridere paratus,
Mimus digrunnit prior, aſſenſere beatæ,
Fautorum voces, tum vero ruſticus ad rem
Accinctus, porcelli aurem, quem veſte tegebat,
Mordet, grunnit hic tum vera voce dolore,
Cum irriſere ſatis, ſcurram felicius illo
Digrunniſſe, vafer porcellum oſtendit apertum,
Hoc probat, inquit, judicium, quod fertis, iniquum.

Phædrus lib. 5. fab. 5.

Facturus ludos quidam dives nobiles
Propoſito cunctos invitavit præmio,
Quam quiſque poſſet, ut novitatem oſtenderet &c.

SATYRA QUINTA
IN
ORATORES

Non cedunt numero, macieque, fameque poetis
Oratores, credunt illis se tamen ipsis
Esse aliquid majus longe, & majora mereri;
Nam quantum sudoris habet, quantumque dierum
Compta oratio! partes Tullius aestuat omnes,
Perfecto quoties est de oratore locutus;
Verum? gallinae ovum culo tardius exit,
Quam venit in lucem, quanta est, oratio compta.
Cuicumque occurras, oratorem sapit, ille
Est Crassus totus merus, hic Hortensius alter.
Scribere perbelle, & quid porro scire latine,
Est satis, & super, oratorem, & rhetora factum,
Tanquam alapa liber redit, ac vertigine Davus,
Protinus annumeres Ciceronibus, atque Epicadis
Suavem illum,& gratum,atque ex omni parte rotundum,
Pratensis fungus quantum, aut in litore concha.
Rerum vero quanta seges sine reque, locoque!
Quanta figurarum nullarum in corpore passim!
Quod monstrum ornant flores, & pigmenta colorant,
ὁμοίωσις hic melli est, & ἀντιστροφὴ, ait, bene; perge
Antitheton rectum, immo rectior illa πρόληψις,
εἰρωνεία placet prorsus, describitur una
Cum tabulis Carbo, totaque Soarius arte.
Plena deinde situ vix exaudita Cethegis

Ver-

Verba, quibus dicunt se attentum reddere velle
Auditorem, sic botuli farragine fiunt,
Impensaque brevi farcitur pagina longa.
Italus orator multo spaciosius errat,
Liberiorque via, campoque vagatur aperto,
Est ubi sudor, quem decantant? dic age, sodes
Visne labores magnos expendamus eorum,
Quos tanti facimus, quos hos miraris, ut alti
Ingenii, natosque Jovis de vertice summi?
Scilicet in pluteo librorum exercitus ingens
Instruitur, qualem non doctior Hannibal ipse,
Non habuit Pyrrhus, nec contra Cæsar Iberos.
Bernardonus longam primum ventilat hastam,
Atque Siniscalcus, pilani deinde sequuntur,
In dextro cornu Vincentius, inque sinistro
Finetus cum Musso, Mutum ubi pono, Macrumque?
Dolera, Pauletusque, & Gorla triarius esto,
Cedo alios, ubi Communis tandem est, ubi Oliva,
Atque Colombiera? ecce; ubi Lamam, ubi quæro Moronem?
At satis esse puta, sexcentos instruis, ohe,
Ut mavis; nasi crystallum sessor adunci
Explorare vias primum, atque hostilia castra,
Se munire loco, dein concursatio magna
Per libri summam, multarum & in indice rerum,
Eja satis laute, ex quo belle scribere possum,
Quam mox irruo! cœpit primos nunc stylo adire,
Ac tentare manu, nunc perturbare secundos,
Prædam agit, hinc sensu surgunt exordia eodem,
Exemplum quadrat, sensim narratio serpit.

Infe-

Infelices oratores! ducitur unco,
Et collo quisque obtorto, qui huc forte venire
Si possent, & ab illis plumas denique velle,
Quot Gorlæ, & Lamæ spreti, nudique redibunt
Cornicum ad genus obscurum, amittentque colores,
Queis tanquam soles collucent. Anne agitur quid
In genere exornativo? vix ossibus hæret
Francavilla, ita partem dilaniatur in omnem,
Segnarus a latere arcte, a tergo, a fronte tenetur,
Hoc placet, hoc melius, fit sic oratio in hora,
Sic expilantur, compilanturque libelli,
Non sine magno plausoris strepitu, atque screatu
Auditoris; cur? ova, & petasunculus arer
Audacem facit oratorem, villula, vici,
Et castella beant, ubi primum rumpere frontem
Incipit, & sacrum populis ostendere nasum,
Officio functus, collecta sportula opima,
In cellam ad cœnam veteres invitat amicos,
Uncto qui mirum quantum, fumoque trahuntur.
Jam vero post multos autumnos, hyemesque
Altius ascendit, sane prius auspice magno,
Præmissoque viro, qui supplicet, & faciat pro
Oratore, aliis hominem describat honestum,
Narret pulcrum os, gestumque, & suffragia captet,
Ut recitet prima in cathedra melioris ofellæ,
Quæ reddat nitidum cute levi, ac ventre rotundo;
Interea pisces macri, & jejunia Martis
Incipit optare, ac totis desiderat ulnis,
Quæ cum venerunt, delphino migrat in urbem
Ingenti, cum sarcinulis, & fascibus aptis

Vera

Chartarum, & librorum; quidam immurmurat auri,
Hunc nosti? ajo; quis? tunc illi ego in aure vicissim
Vera loquor; papæ! ait, nil plus interrogo, eamus,
Festiua, rogo te, ne mi subsellia desint,
Præterea, mihi crede, movet, torquetque lacertos
Tam belle, ut nemo, recitat, si musicus esset,
Auditorum majorem partem rapit ad se.
Verum in judicium hunc rapio, est oratio cujus?
Incutias illi dicam licet, atque pudorem,
Perrari, quos non delectant res aliorum,
Scribere non possunt aliquo sine numine, dux ut
Suggerat, aut saltem dicat, quo in fonte bibendum.
Sensus vero, & res sunt pura oracula Phœbi,
Et quo obscurior est, tum credunt esse beati,
De ne fide nostra, de libertate loquuntur?
Æstuo, cessate, ac toti illis cedite Delphi;
Di vestram fidem! ego cives, totumque tribunal
Non merito moveam? non sputatilia dixit,
Nescio quid pejus, quis erit, qui solvat Apollo a
Et tamen auditor doctus velut obvia cuivis,
Quæ vix orator, vix ipse intelligit autor,
Presso pollice miratur, sputatque frequenter,
Ut cum desierit, per vicos disticha mille,
Italaque affigant epigrammata, pleraque eorum
Oratoris erunt, ejusdemque edita sumptu,
Laudatoris eget nullius, se satis ipse,
Atque super laudat scriptis, rebusque molestus,
Cujus ab exemplo ut sentes, & gramina campi
Crescunt oratores, qui sibi dicere sumunt
Præsule vel sacro, vel magno Principe coram,

Quæ non descripsere satis de codice belle;
Quod si contingat, tollunt de vertice cristam,
Et cauda facta, collo, rictuque superstant
Nos veluti de plebe homines, licet esse disertos
Se solos, quamvis cantarunt rancida semper,
Sæpius auditori ruperunt caput, atque
Dixerunt, quæ vellem equidem narrare libenter,
Si meme sacris possem immiscere profanum.

Premebant pollicem antiqui hoc pacto, ut in medium digitum impingeret, & crepitum ederet. Hic enim gestus significationem habet favoris, qua in re cum Gruqio doctissimo sentio. Si enim in pugnum includebatur pollex, & premebatur, qui favor est, & gratia? Horatius

utroque laudabit pollice,

ex quo colligo, pollices egisse quid. quod si in pugnum includebatur, otiabatur. habeo Ciceronem Att. 16. *propugnatorem huius opinionis, quem affero contra Bernardinum Ferrarium ad Grævium tom. 6.*

SATYRA SEXTA

IN

PHARMACOPOLAS CIRCUMFOR.

Tusse laborabam, quam nec fortasse Galenus,
Ipse nec Hippocrates potuissent tollere prorsum;
Primus ego cœpi rebus curarier illis,
Quæ stomachum lenire solent, tum deinde tabernas
Bibliopolarum nostrorum perdere, frustra.
Quid tum? confugio ad medicum, mos est ut eorum,
Cum datur ægri emungendi locus, octo diebus
Quamvis expediant, mensem consumere malunt,
Et pretio addictum lecto, affixumque tenere;
Incipit hic liquidum cerasi, baccasque jubere,
Et cœpas etiam, ficusque, nucesque cupressi,
Omnino nugas; tussi pejora verebar,
Interea, cujus nollem meminisse diei,
Pharmacopola malis avibus pervenit in urbem,
Cum mimis, cantoribus, & balatronibus una,
Continuo conducta domus, vestesque superbæ,
Inque theatra foro, tabulataque maxima surgunt,
Fabri sudavere, scalarius, atque dolabri;
Sutores, tonsores, sartoresque, coquosque
Præcipit, & vulgus ruit huc, ut pisces ad hamum
Inter se quisquis secretam garrit in aurem,
Unde, & quis? nihil affirmabant certius, ibat
Fama tamen tacita per vicos nuncia voce,
Resque loquebatur miras, ego tusse laborans

Curro ad pharmacopolam, vix dum ad pulpita veni,
In scenam prodit mimus lenone secundo,
Iste lacessitus nugis convicia mimo,
Ille manu barbam lenoni vellit utraque;
Ridebant omnes, ego tussim propter iniquam
Non poteram ridere, tamen conabar hiare;
Post alios alii redeunt, parasitus in illis,
Salvete, inquit, ubi cœnamus? commoda vobis
Di donent, sic estis magnifici; nihil illi;
Tum rictu distorto ridiculissima dicit,
Ne ridere quidem, vix clauso prodiit astu
Pharmacopola genas ampulla inflatior ipsa,
Argentoque gravis cœtu comitatus iniquo
Et balatronorum, & mimorum, cætera turba
Vilior adventu dimittunt protinus aurem, ut
Forte solent asini graviori pondere lassi;
Contorquentque oculos, nasum, mentumque moventes
Magno cunctorum auditorum non sine risu.
Insinuandi in rem sese, cupidusque loquendi
A proavis, abavisque suis exordia ducit,
Atque libellorum molem, diplomata regum,
Non mihi divitiæ, nec honor, nec gratia desunt,
Inquit, quæ lacrimas medicis morunt, ego feci,
Historias porro narrat, commentaque centum.
Dicere nescio quid cupiens, siquid rei haberet,
Quæ mihi leniret tussim, semel hiscere tantum
Non potui, tacuit nunquam. Ut pulcre teneat nos,
Cædit aqualiculum balatronibus, irruit alter
Mimorum in culum pede dextro, qualia fingunt!
Quos gestus faciunt, & quæ suspiria ducunt!

Præ-

Præterea diros colubres, hydrasque videres
Dentibus excisis, nigram manditque rubetam.
Jurabant, non quemquam alium fecisse venena
Tam parvi; o rerum ignari! male dispeream, ni
Se pastillis, & longis prius imbuit offis.
Vasibus extractis, haustoque libenter eorum
Nil desperandum vaso duce, & auspice vaso,
Inquit, quod curat, quæ vulnera pessima vultis,
Alvi profluvium, febrem, diramque phrenesim,
Hydropen, tussim; succedo; garrulus ibat,
Ut flumen ruptis hyberno tempore rivis.
Post hæc in cyathis infundit saxula quædam,
Unde oleum, & false ridens, accedite lippi,
Exclamat, cuncti certatim currere lippi,
Unguentoque oculos stulti sibi molliter ungunt.
Postremo nobis male vafrior adfuit unus
Dente laborans, & circum mentumque, caputque
Fasciola cintus, rogo, ait mihi tolle dolorem,
Vel dentem; hic vero Superi fecere disertum
Pharmacopolam, narrat, & argumenta resolvit,
Rem amplificat, ducit fortas, atque figuras,
Se tandem convertit ad os, dentesque molares,
Cum satis attentos nos reddidit, accipe fodes,
Inquit, vin' nummo evellam hoc, an forcipe dentem?
Ut mavis; macte ergo fodès, accipe ferrum,
Cum extirpasset eo dentem tandem impete tanto,
Quanto evertisset penitus Carthaginis arcem,
En radix maciei, inquit, vestræ, invidiæque,
Chirurgi, medicique; heus vero quommodo habes te?
Omnino bene, dexterior te nemo tuorum est.

Læti-

Lætitia abreptus cœlum, ſtellaſque tuetur,
Appellans Themidem, & partem ſe torquet in omnem,
Subſilit, inſequitur mimos, & pulpita rumpit.
Compacto rem callidi agebant, credulus eſcam
Rodebam quaſi piſcis, qui non ſentiat hamum,
Accedo mihi poſſe ratus quoque tollere tuſſim,
Dicere non poteram, dirumque exponere morbum,
Nam nunquam ille tacebat, at interpellere crevi,
Quæſo, da mihi vaſum, ego totis viribus illi,
Ut nolens diffiderim hiatu ſubligar uno,
Miratus vocem, in promptu eſt ait, accipe, nemo hoc
Pharmacopolarum faceret tibi, combibe ſodes;
Accipio vaſum, & vitæ, cupiduſque ſalutis
Combibo, ſuccus erat dulcis, tum credere vaſo,
Attamen angebar; fit ſanus nemo repente
Obiiciebat; in imo exorti ventre tumultus
Sedulitate domum me pallidulum pepulerunt,
Ecce diarrhæa, & laſſus præcordia mitto,
Quantum non pathicos mittit pathiciſſimus inter,
Oſſibus hærebam, tam macros fecerat artus,
Pelion ut malas, & magnum dixeris Oſſam,
Non ſine convalli, jactis impune querelis,
Hoc ne valere tuum eſt, inquam? volo pharmaca nunquam,
Malo meo damno totis tuſſire diebus.

SA-

SATYRA SEPTIMA
IN
MEDICOS

Romani quondam, medicis ex urbe repulsis,
Egregie sapuere, suos radice, vel herba
Curabant artus medicorum certius arte,
Non tot inungebant posthac unguenta misellos,
Nec mi lucebant candelæ, ut pinguior ante
Vespillo enectis maxillis macrior iret.
Sed valeant illi, neque enim cupiam esse molestus,
Quos non cognovi; non ullo, credite, possum
Nostros ferre modo, quos quin expellimus urbe
Furcillis mare ad oceanum? jugulamur amici,
Ac telum stulti accipimus, patimurque libenter,
Nemo homicidas accuset? lex julia cessas?
Cur medicis parcis, quæ non permittis inultum
Quemquam alium? sunt testes, centum protinus aures
Opponuntur, agam vel Apolline judice causam,
Ut de vita, & moribus inquisitio fiat.
Vix igitur primum digitis dignoscere febrim
Cœperunt, atque excerpserunt scripta magistri
Immortalia, quæ consumit nulla vetustas,
Inque alium ex alio, ut fideicomissa, recurrunt,
Diversi redeunt, hominum nova forma repente,
Frons erecta, color, vis, nervi, spiritus ingens,
Et quanquam ex truncis quidam, ac ex montibus orti
Ex Jove deducunt genus, & Junone parente,

Non

Non rident, nummi nisi magna refulserit aurei
Spes; crepat argentum? deducunt ora parumper;
Heu misero, qui primus ab his curandus aditur!
Cur non testamenta paras? quare hoc facere ausim?
Vis ubi sarcophagum? nec adhuc unguenta parasti?
Quorsum opus? extendes post paucos, credito, calces
Luciferos, te cognati, & vicinia ploret;
Quo pacto? non est lethalis morbus, erit mox.
Qui se scire putant plusquam fortasse Galenus
Scivit, & Hippocrates, tentant in corpore quædam
Experimenta, malo magno, damnoque cubantis,
Qui vero nihil ipsa re se scire fatentur,
Nam sunt infantes multi, qui verba latina
Chaldæorum, hebræorum mysteria credunt,
Pharmacopæas implorant, & scripta magistri,
Schedula præsto est, in qua risu digna jubentur,
Ut curent podagram, cum sit curanda phrenesis,
Præterea expediunt morbos clysteribus omnes,
Excrucior si dente, jubent, infundite clysmum,
Si febri, pejora jubent impune necando.
Interea morbus nervos, viresque nocendi
Accipit, & crescit; medicos heu consule recte,
Qui citius morbo, quæ sint obstantia, dicant.
Suaviter hic ridendi sane vertitur actus,
Quem nec Aristophanes, nec Plautus præbuit unquam,
Secum quisque trahit longam, viridemque catervam
Discipulorum, quorum humeros jam penula vestit,
Intrant, atque cubantem grata voce salutant,
Immo sanum, animoque jubent hilari, atque bono esse.
Quod si forte premat me parva, & curta supellex,

Ar-

Arrecto naso, quantum non prospicit anguis,
Res circumspiciunt, atque omne cubiculum ad unguem
Olfaciunt, quid tum porro? me nemo salutat,
Non animo esse hilari jubeor, non sanus, ut horum
Quum primus loquitur, cœlum, divosque tonare,
Si arteriam tangit, credam, venisse Charontem,
Qui arripiat meme, & cogat, conscendere cymbam.
Sed redeo, ex quo me voluit divertete verum,
Incipit ex his unus, narratque omnia, morbum
Quo pacto curaverit, & tractaverit ægrum,
Mille solœcismos verbis facit, ultima primis
Miscet, & inflatis balbutit cætera buccis,
Ecce tamen dictis qui respondere jubetur,
Eximiis lætus collegam laudibus ornat,
Ac si pene locutus Mercurii ore fuisset,
Mortuum, & exanguem ad vitam, lucemque vocasset,
Hoc quod adulandi peccatum, lex medicorum est;
Posthæc præterea ad verbum ejus verba recantat,
Ut non incisum, nec punctum, ac syllaba desit;
Sed non est hoc contentus, farragine rerum
Auditorem onerat, selecta vocabula quærit,
Aegroto quæ sæpe solent afferre salutem,
Dum capite, & digitis etiam modo gestiat æque,
Et spoliat Bembum, & Boccacium, onustus eorum
Phrasibus, & verbis, meliori denique pulpa,
Unde oratio porro sit teres, atque rotunda,
Quam semper repetet, centum si viveret annos,
Et repetet semper, si centies consulis illum,
Quamque abacis servat sexcentis clavibus intus,
Quod si depereat, fit ex doctore Diaulus,

At non intereat, ſic ejus mente repoſta eſt,
Ut non lethæo deleri flumine poſſit.
Femellæ omnes, quique trahuntur cortice rerum,
Majorem medicum non audivere ſecundum;
Interea clauſis oculis, atque unguibus atris
Aeger ad elyſios medico inſperante meavit.
Qui factum? miſerum non compta oratio juvit?
Non flores, nec opem electiſſima verba tulere?
Non Boccacius, inquam, morbum expulſit acutum?
En medici, totas ubi vos conſumitis horas,
Verbis quæ nil proficiunt, arma arma ciere,
Milite opus multo, gladioque inrumpere morbum.
Verum oro, ſi res noſtras, & ſcrinia amatis,
Quo juramento debetis dicere vera,
Feciſtis Diti pactum, dextramque dediſtis?
Tercentos interficiunt, quam unum ante reducant.
Ah peſtes, quorum nomen conſcribere vellem,
Qui, cum quem adduxtis prope limen mortis, inique
Senſim dilapſi non viſitis amplius illum,
Quod ſi peccaſtis, cur emendare negatis?
Præterea, quod turpius eſt, cum pharmacopola
Sentitis de radenda cute divitiorum,
Clauditis auriculas a pauperiore vocati.
Phœbe pater, qui Sol, & Apollo libentius audis,
Qui penitus medicos, & eorum crimina noris,
Cur non intendas arcum, figaſque ſagittas?
Hos perdas, oro, per flavos, Phœbe, capillos,
Si genus humanum durare diutius optas.

SA-

SATYRA OCTAVA

IN

RUSTICUM

Cum primum dulcis maturo tempore vitis
Allicit agricolas, & rident mitia poma,
Causidici, rabulæ, tonsores, bibliopolæ,
Sexcentique alii, tum credunt esse beati;
Colle suburbano, & campestri rure tenentur,
Hic calamo volucres, hic visco fallere gaudet,
Currere vel rheda, vel cursu vincere damas,
In canna centum videas equitare libenter.
Hic ego nutritus, sub & aere natus eodem,
Vix primum tetigi rus, conditione maligna
A vafro quodam tantum mihi nomine noto
Lætus equum conduco, nemo strigosior illo,
Una tumet coxa, & distortis altera lumbis,
Claudicat ulceribus plenus, si credis, Horati
Mulo pejor erat, nisi fallor, caudaque deerat,
Sed mihi bucephalus, poteram cognoscere quamum,
Esse videbatur, quid rusticus? ille volabit
Pegasus alter, ait, bene pastum fruge cupita,
Ascendo, qui vix equitem sensit, vitiosus
Incœpit nolle, & ferrata calce ferire,
Aufugio ad crines, musis, & Apolline Phœbo
Imploratis, pimpleum ascendisse putavi,
Cum misere expellor dorso, falsique cachinno,
Quique aderant, tristes quatiebantur, mihi guttæ

 Pau-

Paulatim ex oculis fubmiffa fronte cadebant,
Confolabatur me illos lepidiffimus inter
Compofito ad verum vultu, verbifque dolorem,
Quare ego fpe erectus clitellam fcandere rurfum,
Afcendit citius falebrofas Hannibal Alpes.
Ibat inæqualis, dextrorfum fæpe laborans,
Sæpe finiftrorfum, me fuccuffabat acerbe,
Duros audieram mihi fubter crefcere ficos;
Ajebam macro frangantur crura caballo,
Atque locatori, furias, hecatemque vocavi
Ultrices hominis, bos fe confumet arando,
Tu pereas male, nempe volabit Pegafus alter?
Ulcifcebar enim verbis, ceu femina læfa,
Quæ fi denafare nequit te, oculofque nocenti
Unguibus eruere, ut fias divinus Homerus,
Mendicefque diu, bilem folatur hiando,
Atque tibi fellam Craffi, matulamque precatur
In caput, anginam, pituitam, gallica quæque.
Ventum erat ad cauponem, ftat, quafi ftellio mordax
Incuffiffet ei venis, nervifque ftuporem.
Poftquam illi fruftra lumbos, ut pergeret, urfi,
Æftro nefcio quo me invito intrudere fefe,
Atque mei capitis magno, tunicæque periclo,
Mufcarum pleno labrum pendere fecundum
Cum vidi, rurfum pafci permitto, monebant,
Longius haud duraturum, cauponis alumni,
Sed tamen illorum præter fpem fæpe cucurrit;
Defeffus curfu Sol montes fugerat ultra
Jucundis ab aquis rediturus, tangere portam,
Cura mihi, fenfim turres oftendere vultum,

Cum

Cum rependo tandem aliquando proximus eſſem ,
Seſſores video ſexcentos mœnia juxta
Præcipue medicos famæ pejoris, opellæ
Nullius, nitidos vero, quos otia nutriunt ;
Cauſidicos autem illic, doctoreſque ducentos,
Qui ſimul ac Themidis ſerto vinxere capillos,
Attingunt cęlum digitis, odere libellos;
Accipiebant hic zephiros, & fluminis auram
Æſtivum propter tempus, ſtellamque caninam,
Ut limis tam delumbem videre caballum,
In me ridentes convertunt os, oculoſque,
Furtim calcar ago lepide, ne illudere poſſint,
Sed jam ſemianimis greſſu repebat eodem
Demiſſo capite, & pyramis laſciva pependit
Longior æquo, tum audiviſſes ſibila centum,
Et varios ſermones, nato homini loco honeſto
Magnum detrimentum, Dis vovi , atque Deabus ;
Si eripuiſſent me criticis: in litore tuto
Tandem delatus, cœnaturi me ubi amici
Expectabant, liber tempeſtate diurna,
Naufragioque, animum poſt ſat, vireſque refectas,
Affixi tabulam templo, promiſſaque ſolvi.

SA-

SATYRA NONA

IN

LUDIMAGISTROS

Scire velim, nostra cur sint tot in urbe magistri?
Publica quæque suos decantant compita ludos,
Vicus quisque suos; at eras modo, Gallice, fungus,
Declamare doces pleno nunc, Gallice, ludo?
Quo fretus? excurri, ut si quid magnum adderet, inquit,
Grammaticos, & Tursellini particulas, ut
Nemo alius; sed non satis est, legisse Perottum,
Donatum, Varronem; at enim scio scribere belle,
Quid quæris? papæ! habes, quod cuique oponere possis,
Hæc te, crede, juvabit tam præclara supellex;
Si scribunt, clareque legunt, punctum omne tulere,
Sed cum versiculum nunquam componere noris,
Nec bene Tulliolum, nec quemvis vertere recte,
Te quæso, ac rogo te, prodis qua fronte magister?
Nempe salutata primo de limine musa
Spem præter ludus nobis aperitur, alumni
Pharmacopolarum, & fabrorum currere centum,
Magnum doctorem credit vicinia habere.
Dic per avi cineres quidnam de Cæsare sentis?
Quid de Virgilio? novi de fronte; legistin'
Aut salem Horati, aut, quod pungit, Juvenalis acetum?
Aut Plautum? prorsus hebræa, & barbara narras;
Inteream, si de facie; audacissime, quare
Declamare doces, & spem vis fallere matrum,

Quæ

Quæ tibi filiolos tanta mercede dedere?
Ingenium accuſas porro, pueroſque culina,
Inquis, non ludo dignos, ſed labitur unus
Poſt alium, hi vero coguntur claudere mæſti
Ludum, pædagogorumque feruntur in album.
Attamen hæc nihili pendo, majora ſuperſunt;
Nam genus eſt durum illorum, valdeque ſuperbum,
Nulliuſque timent naſum, ſub Apollinis umbra
Eſſe putant, tanquam pimpleo in vertice roti.
Ennius in pluteo eſt, Statius, Siſena, Catullus,
Virgilius, Flaccus, Livius, Terentius Afer,
Non tot habet bellos, nec tot librarius unctos,
Grammatici vero centum, criticique ducenti;
Si quis Virgilium, quis Flaccum vertere debet,
Utitur italico primum, dein fronte ſevera
Explicat, & nodos diſſolvit ſtans pede in uno,
Et ſi ſit Plautus, vel ſi ſit Pertius ille,
Qui ſalebroſior eſt, non unquam pallidus hæret.
Quid de faſciculis chartarum? epigrammata mille
Deſcripſit doctos inter venatus amicos,
Collegit probe rem formica cautior ipſa,
Inde ſit orator, creſcit de rhetore rumor,
Inde poeta, facitque bonos ex tempore verſus,
Vena caballina eſt, quam non exhauriet æſtas,
Nec rabies ſicci canis. In ludum ito, videsne
Pulchellos Ganymedes? quot Veneres, Parideſque?
En ſedet in cathedra princeps, qui pulcrior, unus,
Et cenſor ſequitur, ſedet hinc & cætera turba,
Quique caret forma poſtrema in ſede quieſcit,
Digna palatino ſi ſcribet Apolline, ſemper
Poſtre-

Postremus vivet quasi vinctus compede servus,
Bellus adest, pensum Ganymedes attulit, euge
Omen habes Ciceronis, ait, plauditque magister,
Sæpe solœcismos defendit, ut esse figuras,
Atque tropos malit, belle, recteque crepabit,
Ac tractat leviter, non si dulcissima mater,
Atque avia, heja autem hoc tantum, reprendit amice
Si delinquit, ego si tussio, vapulo, si quid
Nugarum meditor, si sum a censore notatus,
Me rigide pulsandum humeris pendere jubebit,
Submittamque manus ferulæ, juvat esse venustum,
Hunc punire nefas, hunc inter seligit omnes,
Ut recitet coram Prætore, aut Præsule sacro.
Interea passim pagellam figo columnis,
Quæ monet auditorem, conducti citharædi,
Tigna, columellæ, scenæ, tabulataque surgunt,
Ducitur auditor phaleris, nidore culinæ
Ut nasi parasitorum, si orchestra deesset,
Auditor rarus venit, & subsellia frigent;
Prætor adest, læti recitant epigrammata alumni,
Suggerit his rhetor, si dactylus evolat, addit,
Atque animos timidis, conductæ plaudere voces,
Ut macrum eliciant ex auditoribus euge.
Cum redeunt, rursus rumpunt clamore columnas,
Rhetoricam, Physicam, Logicam, linguasque docendo,
Sed male quæque docent, queritur vicinia multum,
Quod nunquam possit dormire, quiescere numquam,
Ob magnos latratus doctorum, illa Dianam,
Lucinamque rogat, ne irrumpat farcina precox,
Altera febricitat cupiens in rhetora febrim.

Deni-

Denique ad historiam cum descendere, deorum
Quamvis absentes convellunt protinus aures,
Antigonus pugnas, clamat, commisit acerbas
Contra Perdiccam, siculos habet Eolus agros,
Hora est inquam, nona, & adhuc hic marmora rumpit,
Præficitur populis Arbactus rege necato,
Appius in regno est, romanis voce puellis,
Imperioque nocens, ut ranas enecat hydrus,
Cæsaris adventu supplex est inclyta Roma,
Et miram gaudet, quæ sanctius insidet arca,
Quæque regit septem dea nunc Collatia colles,
Pompejus vero jacet .... ut nunquam hiscere possis,
Ecquando facies clamandi denique finem?
Aut bile intereo nigra, capitisve dolore.



In Curiosum in rebus alienis

Scis, quid Persarum subiti peperere tumultus,
  Scis, quota Turcarum sit, scythiæque manus.
Scis, quid agunt Corsi, quid Gallia cogitet, id scis,
  Quotque habeat sacros inclyta Roma duces;
Quorum prænomen, cognomen, nomen ad unguem
  Noris, avos, proavos, atque abavos, atavos.
Resque meas etiam probe nosti, resque meorum,
  Te prorsus nihil est denique, quod lateat.
Sed dum res omnes aliorum scire laboras,
  Nescis, quid faciant, Pontiliane, tua.

Duellum Musicorum

Venerat in scenam, steteratque in margine primo
  Priscus, ab adversa parte Perillus erat.
Mirum delumbes, magnum spectaculum uterque,
  Qualis Vulcei nempe caballus erat.
Effigies tabula dignissima, signa dedere,
  Protinus in scenam transmeat Arcadia.
Explicuere melos, ac toto gutture clamant,
  Priscus in octavo carmine raucus erat.
Sed pellem intendit, buccas deducit ad aurem,
  Sæpius alternas jactat ab ore manus.
Ad summam ventum est, animas effundere credas,
  Et crepere, effundat, vel crepet, ut taceat.

In

In malum poetam

Nemo cum laudet, ſolus tua carmina laudas,
Hoc perridicule, Maſſiliane, facis.
Eſſe latina parum, quæ ſcribis, carmina, verum eſt,
Sæpe ſolœciſmos, Maſſiliane, facis.
Cum ſatyras ſcribis, rideris, diſticha culpo,
Non eſt in toto carmine mica ſalis.
Nec græcos laudo, nec verſus laudo latinos,
Laudo nec italicos, Maſſiliane, tuos.
Ut te non laudo, tamen es laudandus in uno,
Quod ſaltem ſcribis, Maſſiliane, bene.

In Paraſitum adulatorem

Antiochus noſter, quod amas, teque, ac tua laudat,
Et quod agis, ſummis laudibus amplificat.
Si ructas, albis conclamat dentibus, jo,
Si vero pedis forte, recantat idem;
Olim mirator cunni Cupenius albi,
Antiochum rauci, quis ſtupet, eſſe culi?
Carmina, quæ ſcribis, vel ſi ſint rancida, laudat,
Prorſus Virgilium, Quintiliane, ſapis.
Et tu vera putas, quæ mendaciſſima novi,
Si non mentitur, macrior eſt ſolim.
Falleris interea, ſi vis cognoſcere verum,
Antiocho cœnam, Quintiliane, nega.

In obitum Neronis

Vivite Romani, generosæ plaudite gentes,
Res est salva satis, Rex Nero mortuus est.
Illum tartareas Proserpina traxit ad umbras,
Aridus in media est Tantalus alter aqua.
Non Tityus rostro, sed nunc Nero roditur unco,
Saxo affixus non Theseus, ille sedet.
Ollus at effertur, fratres, ridentque nepotes,
Ornat honoratos candida læna patres.
Vult plebes tondere caput, vult radere barbam,
Quid quod conducti funere flere negant?
At mercede pavent, conantur cogere guttas,
Non possunt unam lacrimulam elicere.

In Eruditulum

Virgilii narrent quid dia poemata, nosti,
Nosti, quid narrent, Chantare, grammatici.
Quid Cicero in topicis dicat, quid Flaccus in arte,
Nosti, quid narrent, Chantare, rhetorici.
Et quid Aristoteles phisicorum maximus unus,
Nosti, quid narrent, Chantare, philosophi.
Præterea titulos librorum noris ad unguem,
Est minus illorum bibliopola sciens.
Omnia cum nosti, dicunt te, Chantare, doctum,
Non tamen es doctus, Chantare, sed sciolus.

In Doctorem

Tollis ad astra m anum, quoties mihi, Posthume, plaudis,
Seu recito satyras, disticha sive mea.
Voce alii plausere, manum tu tollis ad astra,
Vel male si recitem, tollis ad astra manum.
Cum facis hoc semper, nunquam mihi, Posthume, plaudis,
Anellum ostendis, Posthume, nempe tuum.

In Condilum

Res mihi sæpe tuas, mihi vis narrare tuorum,
Meque, velim nolim, porrigere auriculam.
Quot lites habeas nolenti, Condile, narras,
Quod recte mater, quodque pater valeant.
Omnia communicas, video, quo pertinet illud,
Res, credo, velles, Condile, scire meas.

In malum oratorem

Orator malus es, sed in hoc te laudo libenter,
Saltem auditorem, Gargiliane, moves.
Magnum est, Gargiliane; quibus te laudibus orno?
Qum præstas aliis, quod stomacum moveas.

In Tonsorem

Pessimus est tonsor Crassus, gravis, asper, olensque,
Et tamen innumeros, quos male radat, habet.

Esse

Esse quid hoc dicam? huc cuncti velut agmine currunt,
Non radit Crassus, narrat ephemerides.

In Mendacem

Te magnis precibus sestertia quinque rogavi,
Voce mihi torva, Calliodore, negas.
Cum torva mihi voce neges, dabis omnia; nam cum
Promittis, præstas, Calliodore, nihil.

In Causidicum

Cum litem perdis, clamas, ut marmora frangas,
Probraque inoffensus, Nasidiene, jacis.
Non latras igitur solum, sed denique mordes,
Nunc vere voco te, Nasidiene, canem.

In Ludimagistrum

Versus, quæ legeres, quoties tibi quid datur oti,
Orasti, vellem mittere, Tucca, meos.
Versiculos tibi, Tucca, dedi, misique libenter,
Vin' legere, an pueros, Tucca, docere tuos?

In Ardelionem

Te rebus nostris, interque negotia misces,
Et curare cupis, Posthumiane, mea.
Laudo quidem, verum mea dum curare laboras,
Incaute pereunt, Posthumiane, tua.

In Musicum

Nempe hoc assidue ? vicinia tota reclamat,
  Vis quamvis raucus, Prisce, tamen canere.
Conficis, occidis, jugulas, rogo, Prisce, taceto,
  Vel tibi testiculos denique scinde tuos.

In Ofellum fori tabulam exsulem

Erras a patria longe vim propter iniquam,
  Propter avaritiam, propter adulterium.
Propter mille nefas, & propter crimina mille,
  Euge, fer ærumnas quommodocumque tuas.
Nec speres veniam posthac ab judice vestro,
  Rupisti toties ejus, Ofelle, caput.

In Gulosum

Cum mecum cenas, primum visenda culina,
  Inque coqui auriculam nescio quid recitas.
Gestis edens, dicisque mihi bene velle libenter,
  Laudo, sed bene vis plus, Philomuse, coquo.

In malum Poetam

Quos bene corrigerem, versus mihi, Galle, dedisti,
  Incepi versus illico corrigere.
Hoc addo, hoc demo, prorsus correximus omnes,
  Versiculi non sunt, Galle, tui, immo mei.

In

In Doctorem

Æmilius retulit Themidis vix serta, Tebaldum
Nunquam, non Ripam, Cagnoliumque legit.
Ille diem totum insumit tonsoris in umbra,
Quid legit Æmilius doctor? ephemerides.

In Ludimagistrum

Cum pueros doceas, ululas, & marmora rumpis;
Functus es officio, Cæciliane, tuo.

In Helluonem

Cum cenas mecum, naso tibi guttula pendet,
Guttula non tamen est, quis putet esse gulam?

In facetum invitatorem

Quid mihi cum ceno recitas, Philomuse, lepores?
Cena tamen macra est, malo mihi lepores.

In malum Poetam

Versiculos petii, Olle, tuos, tu velle, negasti,
Et misti nunquam, sed piper, Olle, dedit.

In

In Ludimagistrum

Dimisit pueros, ludum clausitque Batullus,
Cur voluit ludum claudere? raucus erat.

In Eruditulum

Egregie frontes librorum, Pamphile, nosti,
Vis dicam? fieri bibliopola potes.

In Medicum

Mi brevius solito febrim curavit Ofellus,
Cur brevius solito? sportula macra fuit.

In meretricem fucatam

Quamvis horridulam pueri, juvenesque sequuntur,
Quid mirum? visco, quos capit, illaqueat.

In Pharmacopolam pauperrimum

Sunt sexcenta tibi, sed inania, Pontice, vasa,
Pharmaca ni vendas, esse potes figulus.

In male scribentem

Quod lego non recte tua carmina, Mantice, rides,
Vis ne legam recte, Mantice? scribe bene.

In male recitantem

Quos ais esse tuos, recitas male, Cherile, versus,
Non hos fecisti, Cherile, marte tuo.

In Avarum ex febre reductum

Excussit febrim, sed sanum vellit orexis
Quintillum, febrim rursus habere cupit.

In Medicum

Cum tibi do nummos, respondes nolo, benigne,
Si non vis, quare porrigis, Aule, manum?

In Ludimagistrum

Præter grammaticam ferulis scatet Atticus unam,
Cum cædit, credit, se docuisse satis.

In fori Rabulam

Non ego te timeo, cum me interrumpis agentem,
Sed vocem timeo, Sextiliane, tuam.

In Monitorem

Suggeris, inculcas, repetis, mihi garris in aurem,
Non garris, sputas, Gargiliane, mihi.

In Romulum

Romulus ense Remi perfregit pectora fratris,
Quis dicat, veram non aluisse lupam?

In Sardanapalum

Contra illud Justini *hoc solo imitatus virum*
Femineum fecit, quod se se misit in ignem,
Vir, si pugnasset, Sardanapalus erat.

In Diogenem

Insulsus cur usque jaces? marcescere mavis?
Eia age, surge, suis est hara, Diogenes.

In Thersitem

Fecisti nunquam, Thersites, nomine dignum,
Hoc tantum gloriosum est, ab Achille mori.

In Paridem
Pugnantem cum Pyrrho, a quo occisus

Pugnando vincunt alii, Pari, vincis amando,
Syrrhum non vinces, namque ferire cupis.

In Favorinum philosophum Eunucum

Cum tibi testiculi desint, tibi barbaque desit,
Non es philosophus, musicus esse potes.

In Causidicum arma tractantem

Cum causas ageres, amisti, Nævole, vocem,
Militiam sequeris? perdere vis animam.

In Janum bifrontem

Prudentemque vocant Janum, valdeque sagacem,
Quid mirum? nasos dicit habere duos.

In Jovem

ex Cic. de nat. deor. *Jovem semper barbatum*
Es quia barbatus, rex es, pater atque deorum,
Et rex, & pater es, sed caper esse potes.

In Martem ligatum a Vulcano

O Mars, astrictus laqueis rideris adulter,
Cur non te e laqueis expedis ense tuo?

In Vulcanum nutritum a simiam

Vulcanus niger est, deformis, simius alter,
Hunc quæ nutrivit, simia vera fuit.

De Sileno ad Bacchum

Dicunt, Silenum semper putere temeto,
Est pædagogus, candide Bacche, tuus.

In Saturnum Cæli filium

Saturnus patri sine lite virilia scidit,
Chirurgus Cœli filius esse potest.

In Cererem

Prima Ceres movit litem de finibus agri,
Causidici rident, litium origo fuit.

In Cœlum

Saturnus longos voluit tibi scindere testes,
His demptis quid ages, Cœle? bagous eris.

In

In Galbam

Qui dicunt, crevisse nihil te rege, negatur;
Crevit aqualiculus, Galba gulose, tuus.

In Plutonem

Quid de te dicam rex implacabilis? haud est,
Haud tutum, mores carpere, Pluto, tuos.

In Herculem ad Musam

Quid mi de Hercule suggeris, jocosa,
Et nasuta nimis? taceto, musa,
Nam ajunt perbene, ne Herculem lacessas.

